

per hanc concessionis scripturam, donamus, donatumque in perpetuum esse volumus cœnobio sancti Nicelai et congregationi monachorum inibi degentium de facultate nostra; hoc est, in Andegavo pago, non longe a civitate, terram quæ dicitur ad Accisarias totam integre et quiete, sicuti eam ab Alberico dominico vallo nostro Quidone sancti Mauritiæ ædituum tenuisse, nosque a Vuidone thesaurario per concambia commutasse constat. Donamus in alio loco juxta monasterium, interfluente tantummodo fluvio Brionello, de terra arabili ad stationem modiorum duodecim: et in ea viridegarium et vinearum arpennos duos. Item in loco qui nominatur

A Lupellus, in ripa Meduanæ pratorum arpennos duodecim. Item apud villam Lanariam, inter saltum Captiæ, terram ad stationem modiorum trium. In terra sancti Petri, vinearum arpennos undecim ad censum et decimam.

Signum † firmitudinis a comite Gauffredo manu propria impositum. Hujus autem constitutionis seu donationis auctoritas ut in Dei nomine, per succedentia tempora, firmiorem obstineat rememorationis et conservationis vigorem, manibus propriis eam signo crucis insignivimus et fideles nostros roborare rogavimus.

RAIMUNDI DE CURAMONTA

Charta qua Hierosolymam proficiscens, prædia quædam monachis Tutelensibus impignorat.

(Anno 1096.)

[BALUZ. *Historia Tutelensis*, p. 441.]

Noverint præsentis et futuri quod ego Raimundus de Curamonta, quando volui pergere Jerosolymis cum Raimundo vicecomite Torennense, impignoravi abbati Willelmo monachisque Tutelensibus quartam partem ecclesiæ de Branceliis, videlicet quartam partem decimi et proferentii et fevum presby-

B terale meamque turrem et alias domos, etc. Hoc autem factum est anno incarnati Verbi 1096, indictione iv, anno pontificatus domni Urbani papæ secundi octavo, Philippo rege regnante, Lemovicina sede episcopo carente, Willelmo abbate Tutelensis monasterii pastorem curam agente.

RAIMUNDI COMITIS S. ÆGIDII DIPLOMA

De donatione medietatis villæ Gibellet facta S. Victori Massiliensi.

(Anno 1103.)

(Edidit MARTENE, *ampl. Collect.*, I, 600. Ex archivis S. Victoris Massiliensis eruit D. Furnerius.)

In nomine sanctæ et individue Trinitatis, ego (1) **RAIMUNDUS**, gratia Dei S. Ægidii comes et Provinciæ marchio, princeps autem, Deo auxiliante, militiæ Christianæ in Hierosolymitano itinere, considerans peccatorum meorum immanitatem, atque parvissimæ quæ mecum est Christianitatis, pro diversis excessibus imbecillitatem, instante etiam omnibusque modis inquirente, laboresque suos et sollicitudinem in meo servitio expendente domno Richardo S. R. E. cardinali et Massiliensi abbate, dono et concedo

C unigenito Dei Filio, ejusque venerabili matri S. Mariæ, necnon pretiosis martyribus Victori et sociis ejus, aliisque quorum reliquiæ apud honorabile monasterium Massiliense in Christo requiescunt, medietatem civitatis quæ vocatur Gibellet, quæ etiam in littore maris Magni, altis muris, firmisque turribus munita inter Tripolim et Beritum, et omnium ad eam mari et terra pertinentium, videlicet in ecclesiis, villis, castellis, casalibus, terris cultis et incultis; in portu, ac naufragiis, sive in cunctis ubi truncatam et interpolatam, ut necessario fuerit recudenda.

(1) Hanc chartam edidit Baluzius in suis ad Historiam domus Arverniciæ probationibus, sed adeo

que pertinentiis. Ista omnia ego R. Dei gratia comes immutabili donatione confirmo et corroboro Domino Deo, prædictisque sanctis ac monasterio, præsentibus quoque ejusdem loci abbati R. vel illius monachis etiam præsentibus et futuris ibidem Deo servientibus, sine fraude et dolo omnique malo ingenio, ut in perpetuum honorifice possideant, potestative teneant, feliciter honesteque habeant. Hoc autem feci venerabilibus commilitonibus meis consulentibus, imo cohortantibus, Wilhelmo scilicet Arvernensi comite, Biterrensi vero vicecomite B. denique (2) Aicardo Massiliensi, Berengarioque Narbonensi, quatenus omnipotens Deus per dictorum sanctorum congregationis intercessionibus et meis propitiari dignetur iniquitatibus, et suæ paucissimæ Christianitatis, quæ me sibi post ipsum in caput et principem elegit, se opponat adversitatibus. Chartam vero donationis hujus ita firmam et ratam inviolabilemque tam ego quam præscripti nostri exercitus proceres esse volumus, et volendo sancimus, sanciendo ex auctoritate superni judicis, beatique Petri apostolorum principis, cujus obedientia ac fidelitate præsentia arma gestamus, omniumque sanctorum, et nostra, contradicimus quod nullus rex, nullus princeps, nulli denique cujuscunque dignitatis ordinisve, sive clericus sive laicalis potestas, ei aliquam violentiam irrumpendo inferre præsumat. Si autem, quod absit! post nostrum excessum, quia mortis legibus subjacemus, aut ante, quoniam judicia Dei abyssus multa, aliquis hujus nostri laboris, Deo permittente, potestate præditus, cupiditatis suæ tyrannidem super eleemosynam aut donationem nostram exercere, eam infringendo tentaverit, divinæ ultioni

(2) Baluzius scripsit, *Aicardo reverendissimo Massiliensi*, atque inde occasionem sumpsit in indice ad tom. II Aicardum faciendi Massiliensem episcopum, quasi *reverendissimi* titulus nulli alii quam episcopo convenire posset. Verum præterquam quod ille *reverendissimi* titulus in hujus chartæ autographo peregrinus est, avertere debuisset eum ab hac opinione *commilitonis* nomen, quod hic ei tribuitur; nam vel ipsa hujus loci lectio demonstrat omnes hic commemoratos esse illustres milites cruce signatos. Ba-

A in futuro pœnis plectendus subiciatur, et in præsentem quemadmodum Achab pro agro Naboth Jesrahelitæ, quem male possidere concupivit, dehonestetur, ac judicio publico condemnetur, omni honore privetur, nisi quod injuste præsumpserit, digna satisfactione emendare curaverit, in pristinam dignitatem honorem restituens, et pro damno quod intulerit, monasterio auri optimi libras mille componens, charta ista et donatione stabili immutabilique permanente in perpetuum.

Facta est autem charta donationis hujus anno ab Incarnatione Domini 1105, mense Januario, sub die XVI Kalend. Februarium, luna V, indict. XI, in castello quod appellatur Mons-Peregrinus, et est ante portam Tripolensem constitutum, regnante etiam in Francia rege Philippo, epacta XI concurrente.

† Raymundus comes firmat.

† Signum Arvernensis Willelmus comes firm.

† Signum Bernardus vicecomes firm.

† Signum Aicardus firm.

† Signum Berengarius Narbonensis firm.

Signum Willelmus Ugonis firm.

§ Signum Petrus (5) episcopus Glandensis firmat.

§ Signum Arbertus S. Evrardi abbas firmat.

Signum Pontius Grillonensis firmat.

Signum Willelmus Petri firmat.

Signum Berengarius Willelmus firmat.

Signum Aicfredus firm.

C Videntibus Durando et Raimundo, qui hanc chartam fecit monachis et Bernardo, et Stephano clericis.

luzii opinio in errorem traxit auctorem novæ Gallie Christianæ, qui ut Aicardo pseudo-episcopo Massiliensi locum daret in serie antistitum Massiliensium, Remundum qui tunc sedem illam occupabat, diuque post supervixit, bipartitus est, ut Aicardum duos inter Raimundos collocaret.

(3) Hic episcopus hactenus ignotus desideratur in vulgatis indicibus præsulum Glandatensium, ubi collocandus est inter Pontium et Imbertum.

DERMATHI CUJUSDAM HIBERNIENSIS PROFICISCENTIS JERUSALEM ITINERARIA SEU EXHORTATORIA.

(MARTEN. *Thesaur. Anecd.*, I, 340.)

Ego DERMATIUS, natione Hyberniensis, omnibus D qui manentem hic se cognoscunt non habere civitatem, futuram inquirere, exire de Babylonia, et ire vel redire Jerusalem.

Babylonis nomine, mundum hunc, charissimi, hic vos intelligere volumus in maligno sic utique positum (*I Joan.* v), ut nihil confusius sit, nihil turbulentius, cujus omnino nihil vel certitudine sit incer-